

dex Reg. N. No. 2783., qui Prometheus, Septem contra Thebas et Persas continet.

Faehsius denique tres Aeschyli codices contulit, quorum primus No. 2787. idem est, quem a Brunckio collatum Reg. B. vocavimus; nec id ignoravisse videtur Faehsius, qui in Sylloge p. 68 — 77. nihil fere ex eo nisi varias lectiones ad marginem libri adscriptas attulit. Quas quum omiserit Brunck., Faehsianam libri collationem Reg. O. vocavimus. Praeterea Faehsius usurpavit cod. No. 2782., quem eundem esse cum Vauvilliersii Reg. E. et numerus ostendit, et ex eo perspicitur, quod variae lectiones, quas ad Prometheus ex eo attulit Faehsius, vel in minutissimis librarii erroribus cum Vauvilliersii collatione consentiunt. Dissentiunt quidem in paucis quibusdam, sed ea ejusmodi sunt, ut alteruter facile potuerit errare. Haec non minus quam ea, quae a Vauvilliersio omissa notavit Faehsius, in Auctario variae lectionis congessi. Sed illud scrupulum videtur injicere, quod Vauvilliers. suo libro Prometheus et Septem contra Thebas, Faehsius Prometheus, Eumenidas et Supplices contineri dicit. Sed in hac re errorem a Faehsio commissum esse perspicuum est. Quas enim, ut ex hoc codice, ad Eumenidas et Supplices varias lectiones enotavit Faehsius,